MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81172-3

AUTHOR:

FELDHUGEL, CARL F.

TITLE:

EXERCITATIONUM CRITI-
CARUM IN QUOSDAM...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

[1832]

Master Negative #

93-81172-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Feldhügel, Carl Friedrich, 1810-

Exercitationum criticarum in quosdam Ciceronis libros particula, quam... publice defendet Car.Fr. Feldhuegel... Halis Saxonum, typis expressum Henr.Ruffii jun., [1832]

46 p. 22 cm.

Thesis, Halle, 1832.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm

REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-17-93

INITIALS JA

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

EXERCITATIONUM CRITICARUM

IN

QUOSDAM CICERONIS LIBROS

PARTICULA.

QUAM

UNA CUM

ENUNCIATIS ALIQUOT CONTROVERSIS

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

RITE OBTINENDORUM CAUSA

DIE   M. MAJ. A. MDCCCXXXII

HORA LOCOQUE SOLENNIBUS

PUBLICE DEFENDET

CAR. FR. FELDHUEGEL,

SACHSANUS.

HALIS SAXONUM

TYPIS EXPRESSUM HENR. RUFFII JUN.

MANIBUS

CAROLI BULLMANNI

AMICISSIMI

HOC QUALECUMQUE SPECIMEN

D. D.

AUCTOR.

MANIBUS

CAROLI BULLMANNI

AMICISSIMI

HOC QUALECUMQUE SPECIMEN

D. D.

AUCTOR.

Cic. Acad. I, 2. 8. Et tamen in illis veteribus nostris — multa admista ex intima philosophia, multa dicta dialectice; quae quo facilius minus docti intelligerent, jucunditate quadam ad legendum invitati, in laudationibus, in his ipsis antiquitatum prooemiis philosophice scribere voluimus. Hanc quidem Aldi et Paulli Manutiorum scripturam puto esse verissimam, quippe quae sententiam praebeat maxime idoneam Codicumque auctoritate quam possit maxime nitatur. Nam quod pro philosophiae Dativo, quem plerique praebent Codices, refert philosophice Adverbium, quod pauci tantum exhibent, id tres ob causas necessarium puto. Primum enim non satis intelligitur, quomodo Varro in antiquitatum prooemiis ad philosophiae studium apte adhortari potuerit. Deinde philosophiae scribere recte negat Orellius bene latine sic dici, ut idem sit, quod ad philosophiae studium adhortari. Neque denique facilius Comparativus ferri posset ullo modo, quum facilitas, ut ita dicam, intelligendi nequaquam pariatur philosophiae studio praedicando ad idque suscipiendum cohortando. Nam quod Goer. facilius

h. l. ait idem significare, quod promtius, id vehementer dubito num verum sit. Philosophice contra scribere, quod est more scribere philosophorum, optime se habet, quum Varro non solum in Satiris illis Menippeis, sed etiam in laudationibus et antiquitatum prooemiis philosophice scripsisse recte dicatur, ut, qui minus docti essent, jucunditate quadam ad legendum invitati, facilius res philosophicas cognoscerent. Quod Goer. igitur et philosophiae Dativum alteri philosophice scripturae praeferendum censuit, et quaeque pro quae conjecit: de illo quidem eadem sunt dicenda, quae paullo ante hac de re sunt exposita. Quaeque autem quod correxit, dupliciter ille peccasse censendus est. Quum enim Codicum scripturam sine ulla sana ratione negligeret, tum verborum quandam structuram assignavit Ciceroni, quae prorsus ab ejus elegantia abhorreat. Quis enim unquam Ciceronem scripsisse putat talia, ut significaret et Menippeis illis et eis, quae ad philosophiae studium commendandum in laudationibus et antiquitatum prooemiis scripserit, multa admista esse ex intima philosophia? Et tamen verba strui hoc modo necesse est, nisi forte quaeque (quod scio quibusdam in mentem venisse) pro quae simplici positum judicaris, ut arctius illa inter se conjungerentur. Sed hoc quidem absurdum esse facile unusquisque intelliget, quum quae Pronomen suapte vi conjungendo transeundoque inserviat atque pro et haec ponatur. Quum vero philosophiae Dativus, ut supra demonstravimus, ferri nequeat, scribendumque sit philosophice: multo etiam minus quaeque illud probare licet. Quis enim unquam eum existimaverit sanum, qui dicat: „Jn iis, quae philosophice in laudationibus et antiquitatum

prooemiis scripserit, multa admista esse ex intima philosophia multa dicta dialectice?“ Cujus quidem sententiae perversitas quum facile appareat, miror Orellium, quum philosophice in verborum ordinem reciperet, quaeque illud Goerenzii haud improbasse. Sic igitur Goerenzii scribendi explicandique ratione profligata restat, ut nostram stabiliamus et confirmemus. Philosophice vero quomodo huic loco aptum esset, supra demonstratum est; quare de uno quae Pronomine dicendum videtur. Quod non tam stricte videtur ad ea referendum esse, quae a Varrone dicuntur in Menippeis illis ex intima philosophia admista et dicta dialectice, quam potius omnino ad res philosophicas pertinere; quam notionem e verbis superioribus puto sumendam esse. Hoc modo quum sententia efficiatur aptissima, reliquas Virorum Doctorum conjecturas patet nullius plane esse faciendas, veluti Casauboni de Sat. poës. II. c. 2. p. 189. manca haec verba existimantis: Schnetzii itemque conjicientis, cujus in conjectura vel id improbandum est, quod Accusativus quidam intelligendi verbo necessario adjungendus desideratur: Ernestii denique, qui philosophiae quum pro Genitivo haberet neque tamen prooemiis vocabulo adjungi posse videret, post laudationibus Ablativum collocavit. Quod ineptum esse satis demonstravit Goerenzius, quum laudationes illae essent orationes funebres, neque vero orationes ad philosophiam celebrandam confectae. Cfr. de hujusmodi laudationibus Cic. Brut. 16, 61 et Ellendt. ad h. l. Adde praeterea Cic. Mil. 13 init. Cic. Cat. Mai. 4, 12. Caeterum recte Goer. e Codd. in his restituit pro in iis, tum quod proxime illos ediderat, tum quod paullo ante de eis sermo fuerat.

Cic. Acad. I, 4. 14. Est inquit, ut dicis, sed ignorare te non arbitror, quae contra Philonis Antiochus scripserit. Quam scripturam omnibus omnino Codd. confirmatam jure quodam suo et Goer. et Schuetzius Orelliusque receperunt. Nam quod veteres quaedam Editt. referunt Philonem, quod Lamb. et Ernest. receperunt neque Davisio Madvigioque displicuisse video: id sine controversia e correctione est eorum, qui, quum intelligerent Genitivum ex contra Praepositione pendere non posse, tamen, quid supplerent, non habebant. Male tamen Genitivum illum interpretatus est et Davisius (assentiente Wopk. Lectt. Tull. p. 8. ed. Hand.), qui discipulus subaudiendum statuit recteque vituperatus a Goerenzio est, et Goerenzius ipse, qui sententiam e verbis superioribus suadet sumendum. Quod nequaquam posse fieri et sua sponte apparet satisque demonstratum est a Madvigio Emendatt. p. 115 et 116. Quamquam idem ille Vir Doctus quum perperam negaret fieri posse, ut casus a praepositione rectus cogitatione suppleretur, recte refutatus est ab Handio ad Wopk. Lectt. Tull. p. 8. Supplendum vero est cogitatione libros, quod paullo antecessit. Nam quum Philo dicatur in libris negasse, duas esse Academias, quid est ad naturam accommodatius, quam si contra libros illos scriptum aliquid dicatur ab Antiocho? Scio equidem esse, qui talibus quibusdam exemplis, qualia reperiuntur apud Cic. de div. 1, 9. 17. in secundo Consulatus. ib. 1, 3. 8. Perlegi, inquit ille, tuum paullo ante tertium de natura deorum. Brut. 15, 58. In nono Annali Acad. II, 44. 135 similibusque ad sententiam illam confirmandam abutantur, neque tamen necessarium puto hac de re, ut pote de re satis aperta, ullum verbum interponere. Caeterum Sosum duo illos Philonis libros inscriptos fuisse, auctor est Cicero ipse Acad. II, 4. 11. Quae quum ita sint, ne Madvigii quidem Philonia pro Philoniis scribentis conjecturam intelligitur esse necessariam.

Cic. Acad. I. 5. 20. Animi autem, quae essent ad comprehendendam ingeniis virtutem idonea, eaque ab iis in naturam et mores dividebantur. Quam Codicum plerorumque omnium scripturam judico esse verissimam. Quod enim in Cod. Oxon. E et fragm. Cod. verba eaque ab iis omittuntur, librariis idem, quod Goerenzio videtur accidisse. Neque enim illi, neque hic satis intellexit, ad animi Genitivum esse e superioribus supplendum ponebant esse. Quibus suppletis verborum perquam apta structura exsistit. Quemadmodum Schuetzius igitur temere Goerenzium secutus est: ita prudenter sane Codicum scripturam, quamquam non additis integritatis argumentis, retinuit Orellius, temere tamen addens: „librarii nescio quo stupore animi pro Nom. Plur. habebant quamvis (?) sequebatnr quae.“ Sed quis tandem Orellium docuit, putasse hoc librarios? Poterant profecto, etiamsi ponebant esse non supplerent, animi tamen habere pro Genitivo. Quae jam sequuntur verba ad comprehendendam ingeniis virtutem, ea sunt verissima, quamquam et Davisius P. Manutio Petroque Fabro auctoribus ingeniis verborum ordine expellendum et Wopk. Lectt. Tull. p. 9. ed. Hand. in ingenuitatem mutandum putavit. Namque quum ingenia varias significent hominum naturas atque facultates, utrumque illud non solum non necessarium, verum hoc etiam ineptum perspicitur.

Cic. Acad. II., 18. 58. Neque id est contra nos; nam nobis satis est, ova illa internoscere; nihil enim magis assentiri potest, hoc illud esse, quam si inter illa nihil omnino interesset. Ita quidem Codd., nisi quod Palat. Davisii sec. praebet: nihil enim magis assentiri per hoc illud esse, unde Davisius par est pro potest conjecit, quode post viderimus. Antequam enim reliquorum examinemus exagitemusque sententias, videndum est, quaenam hisce in verbis insit sententia. Quae sine dubio haec est: „Quod Deliaci isti homines, quum ovum inspexerant, dicebant, quae id gallina peperisset, id magis pro nobis est, quam contra nos, quum nos illud modo contendamus, ova illa posse internosci. Quae etsi putamus internosci posse: tamen assensione non magis approbare possumus, hoc ovum esse illius gallinae s. partum esse ab illa gallina, quam si ova illa omni ex parte essent paria.“ Distinguit igitur auctor internoscendi atque assentiendi verba. Unde intelligi potest, quod multis demonstrare conatur Madvigius Emendatt. p. 159. nullum ovum ex Stoicorum sententia plane esse tale, quale vel aliud esse possit, ne illud quidem hisce verbis non significari. Sed tantum abest, ut haec sententia amplificetur omnesque ad res transferatur (id quod fieri vult Madvigius), ut etiam mittatur deque assensione id addatur, quod paullo ante §. 57 et 63 de rebus posuit sibi simillimis, quas non haberet sapiens denotatas. Sic si verba illa interpretare, tum aptissima sane sunt ea, quae sequuntur: „Habeo enim regulam, ut talia visa vera judicem“ (i. e. assensione approbem), „qualia falsa esse non possint“ (i. e. quae accurate habeam denotata). Ex his intelligitur, non in Goerenzium culpam esse

conferendam, quod Madv. ejus interpretationem, quae est eadem atque nostra, non intellexerit; sed in ipsum Madvigium, qui, quum plura, ut post viderimus, parum recte caperet, Goerenzii sententiam sane optimam perspicere non potuit. Quo vero accuratius Goer. hujus loci sententiam constituit, eo magis duo tamen esse miror, quae ille peccaverit; quorum est alterum, quod par est pro potest recepit, quum assentiri passive possit usurpari. Quod quamquam Goer. ad Acad. II. p. 109. de Perfecto tempore concedit, ut vera sint Cic. Acad. II, 31. 99. assensa. Cic. Fam. 1, 2. Bibulo assensum est, de ceteris negat, quoniam saepius Cicero Participia Perfecti passive usurpet, non item reliqua tempora: tamen, quum et aliorum Deponentium non solum Participiis Perfecti, verum etiam reliquis temporibus, in primis vero Praesenti vim quandam tribuat passivam, veluti dignandi verbo (Cfr. Cic. de Orat. III., 7. init. res quae laude dignentur. Cic. inv. II., 53.) et hujus ipsius verbi tum passiva tum activa forma apud Cic. Acad. II., 7. 20. II. 12. 39. (cfr. Madv. Emendtt. p. 131. Rath. ad. edit. Davis. Cic. Acad. p. XXI.) Fam. I., 13. (advertebantur assentire Volcatio, ubi perperam contra Codd. auctoritatem Orellius assentiri correxit) aliosque scriptores (cfr. Liv. 1, 54. quum de aliis rebus assentire se diceret. Ovid. Met. III., 406. IX., 259. XIV., 592.) reperiatur: nihil equidem causae video, cur unius Codicis ne certa quidem scriptura, reliquis Codicibus in potest scriptura servanda consentientibus, praeferenda sit. Deinde vero in eo Goer. peccavit, quod nihil intactum reliquit, itaque vitium quoddam, quo omnes ante eum interpretes laborabant, in suam etiam editionem transtulit. Quod quamquam et Madvigius Vir Sagacissi-

mus, et Orellius, Vir Doctissimus retinuerunt: tamen in comparatione, quam hic patet esse, id, quo metiare, casu, quem vocant Ablativum, ponendum est. Hoc a Cicerone certe ubique videtur observatum esse; quoniam quidem aliorum scriptorum, veluti Liv. 1, 7. Val. Max. I, 1. 1. Ter. Eun. I, 2. 51. reperiuntur exempla, quibus Accusativum quoque esse haud repudiatum, declaretur. Quod tamen, ut dixi, a Ciceronis latinitate abhorret. Qui sicubi nihil adjunxit assentiendi verbo aut pro nullae rei aut pro non negatione usurpavit. Utrumque quum huic loco esset alienum, jure quodam meo Ablativum restituisse mihi videor. Restare igitur videtur una Madvigii quasi corrigentis conjectura. Neque enim conjecturam Davisii nihilne magis assentiri par est, hoc illud non esse, quam si cet. veram esse, neque Ernestii possum pro potest suadentis necessariam ullo modo, ex eis, quae ante sunt commemorata, satis elucet. Orellii quidem conjecturam satius duxi propterea praeterire, ne vir alioquin de Ciceronis libris meritissimus, tum propter malam, quae inde nasceretur, sententiam, tum propter peccatum quoddam grammaticum, mihi esset castigandus. Madvigii igitur quod attinet sententiam illam, ea tres potissimum ob causas videtur improbanda esse; primum quidem quod nihil, quod supra demonstravi falsum esse, pro nihilo retinuit; deinde vero, quod et verba neque id est contra nos parum recte cepit (quae perperam ille ad ovorum inter se similitudinem cum Lambino referenda censuit, quum sint ad homines illos Deliacos eorumque ovorum dignoscendorum scientiam referenda) et hoc illud Pronomina non ad ova, sed potius ad rem quamlibet putavit pertinere, ita ut significarent: „duas res esse

plane easdem.“ Un desimul hoc patet, quasi, quod conjecerit vel maxime esse reprehendendum. Denique vero ne ea quidem, quae sequuntur verba: „Habeo enim regulam“ cet. satis convenirent eis, quae paullo antecedunt. Sic igitur una, quae quidem probari possit Codicumque vestigiis, quam possit maxime fieri, nitatur, scriptura haec superest: Nihilo enim magis assentiri potest, hoc illud esse, quam si inter illa nihil omnino interesset.

Cic. Acad. II, 43. 133. Quid? quae dicuntur quidem et acuta mihi videntur in utramque partem et paria; nonne caveam? Quam scripturam inde a Victorio fere servatam Goeenziique Codice Gud. confirmatam ferri posse nullo modo, luculenter patet. Duo enim sunt, quae vel maxime ejus corruptelam coarguant. Praeterquam enim, quod structura illa: Quid? quae — nonne caveam vehementer est offensioni, etiam quidem particula hujus loci plane est aliena. Alia est enim ratio Cic. de div I, 5. 8. Dicitur quidem istuc, ubi in dicendi verbo vis quaedam posita est, quum agendo sit oppositum. Quas difficultates quum jure interpretes tollere conarentur: nulla tamen earum, quae adhuc prolatae sunt, conjecturarum, probari potest, quum suo quaeque laboret vitio. Davisii enim conjectura probata illa quidem a Goerenzio: quid? quum quae dicuntur quidem improbanda est proptera, quod quidem particula nequaquam illa ferenda servata est. Quam etiamsi nulla alia vocula ejus in locum substitata deleveris, criticas certe leges neglexeris; quod, ut post viderimus, cadit in Madvigium. Quod tamen idem Madvigius, si quum scribere-

tur necessarium putavit esse Conjunctivum, perperam ille quidem judicasse censendus est. Quum enim non causam quandam necesse sit particula illa h. l. significari: aeque h. l. atque §. 133. Cic. Acad. II, 43. 133. quum dissentit. Cic Legg. II, 13. 32. quum concedimus Indicativus illi potuit adstringi. Bentleji quidem conjecturam, etsi recte a Davisio haud inelegans est judicata, tamen esse violentiorem, quam quae tolerari possit, nemo non videt. Restat igitur una Madvigii conjectura (nam Orellii corrigendi ratio sua sponte intelligitur inepta), quam quidem ante eum Guietus proposuerat. Is enim putavit scribendum esse: Quid? quod quae dicuntur et acuta mihi videntur in utramque partem et paria? nonne caveam cet. Sed ne illud quidem verum esse elucet, quum quid? quod verbis rei alicui ante expositae gravius aliquid addatur; id quod plane ab hujus loci sententia abhorret. Cfr. Cic. Nat. Deor. I, 38. 108. Cic. Tusc. 1, 20. 46. Cic. Cat. I, 7. 25 ed. Beck. Quid? quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt? quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt, simulatque assedisti, partem illam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt? Hic quidem facere non possum, quin Beckii quendam errorem corrigam. Qui quum alterum quid in Editt. quibusdam vett. et Codd. repertum recte repudiaret: non satis tamen accurate, cur illud faciendum esset, exposuit. Videtur vero eam potissimum ob causam alterum quid omissum esse, quod verbis illis: „quod omnes Consulares-reliquerunt“ nihil omnino novi additur, sed quod superius dictum erat, explicatur modo. Quod nisi ita esset, tum profecto alterum quid omitti non poterat. Sed unde ex-

orsi sumus, redeamus. Nisi igitur quod illud pro conjunctione causali habueris, ineptum plane est et inficetum. Quamquam ne tum quidem conjectura illa probari potest, quum quidem, nulla alia vocula ejus in locum substituta, omitti nequeat. Quae quum ita sint, aliud quiddam videtur excogitandum esse, quod conjecturis illis videatur verius esse. Quod quoniam sua sponte offertur, non altius repetendum est. Quum enim alii codices quidem post dicuntur exhibeant, quae alii: aut quia, aut quoniam auctori restituendum censeo. Quum enim hoc modo Codicum vestigia (nam quoniam in Codd. scribitur QUŌ) vel maxime exprimantur: tum vero et sententia existit aptissima et verborum structura ea, quae a Cicerone vel maxime frequentetur. Cfr. Cic. de div. I, 18. 36. Quid? qui irridetur hic partus mulae, nonne, quia fetus exstitit in sterilitate naturae, praedictus est ab haruspicibus incredibilis partus malorum?

Cic. Acad. II, 48. 148. Ad patris revolvor sententiam — percipi possit: per ἐποχὴν illam omnium rerum comprobans, illi alteri sententiae, nihil esse, quod percipi possit, vehementer assentior. Quae verba haud dubie corrupta alii alio modo corrigere conabantur. Madvigius quidem auctore Manutio pro per censuit scribendum quare mutandumque comprobans in non probans verba. Lambinus in margine edit. 1584 per omisso posuit: „ἐποχὴν enim illam omnium“ rerum cet, quum in edit. a. 1566 mire omnia transposuisset. Goer. vero pro per auctori restituendum putavit pariter. Quarum conjecturarum si quaequam esset probanda, tum profecto Manutii maxime amplecterer conjecturam, quum

reliquae istae sua sponte falsae intelligantur. Sed tamen quare illud nescio quomodo male me habet. Aptius certe ita ex possit antecedente sumitur, quippe qua vocula eam, quae sequatur, conclusionem verbis paullo ante positis jam contineri significetur. Cfr. Cic. Fin. I, 6. 21. Ita quae mutat, ea corrumpit. Cic. pro Manil. 10, 22. Ita illum in persequendi studio moeror, hos laetitia retardavit. Neque tamen vel sic verba illa omni ex parte sanata esse intelligitur, quum negandi particulam deesse pateat. Quam equidem nullo modo putaverim cum Madvigio in prima syllaba Participii comprobans latere (nam quum omnes constanter scripturam illam tueantur Codices, temeritatis videatur esse, eam corrigere, si aliqua eaque lenior emendandi ratio reperiatur); sed per illud ortum potius censuerim ex parum Adverbio, quod aptissimum sane huic loco debet videri. Scite enim, minus, quam aequum sit, ἐποχὴν illam omnium rerum se approbare, Catulus significat, quum decretum sit et recentioris Academiae et ceterorum philosophorum, nihil esse turpius, quam decipi, labi, errare Cfr. Cic. Acad. II, 21. 68. Quam ob rem quum tam vitiosum esse constet, assentiri quidquam aut falsum aut incognitum: sustinenda potius est omnis assensio cet. Cic. de div. I, 4. 7. Nam quum omnibus in rebus temeritas in assentiendo errorque turpis est cet. Parum pro per scribendum jam suaserat Davisius. Sed quod idem ille neque demonstravit, quomodo parum huic loco conveniret, et nulla particula addita illud ponendum judicavit: valde is est reprehendendus. Quodsi mecum isto modo verba illa correxeris: tum sane exsistit sententia, quae vel aptissima sit maximeque e Codicum vestigiis expressa.

Cic.

Cic. Fin. V, 7. 20. Ne vitationem quidem doloris ipsam per se quisquam in rebus expetendis putavit, ne si etiam evitare posset. Miror haec verba adeo ab interpretibus esse exagitata atque vexata, quum tamen sint verissima, si modo pro ne si posueris nisi, id quod Bremius, etsi dubitanter, suasit, quum eidem et Schuetzio suspecta haec essent omnia. Antequam vero ad ceterorum opiniones accedam refutandas: quaeque exspectetur, quaeque his verbis contineatur sententia, videndum est. Respondeant vero haec verba necesse est illis, quae paullo ante posita sunt: „facere omnia non dolendi causa, etiamsi non consequare," ita, ut hisce eam, quae illis contineatur, sententiam quisquam probasse negetur. Quod revera sic esse satis apparebit, si, quid intersit inter vitationem et evitationem, quae verba sunt sibi h. l. opposita, intellexeris. Vitatio quidem est ejus, qui studet dolorem effugere, evitatio ejus, qui revera effugit eum. Ita sententiam, quae requiratur, effici vides hancce: „Neminem studium, sive ut paullo ante dixit, consilium doloris effugiendi in summo bono posuisse, nisi etiam id efficeret, ut dolore vacaret." Videtur igitur ea, quam Bremius dubitanter proposuit, correctio nullo modo posse dubitari, praesertim quum a Codicum scriptura nihil fere recedat. Quod idem vero pro posset scribendum censuit possit: dupliciter ille peccasse censendus est, quod et Codicum auctoritatem temere neglexit, et contra grammaticas rationes Imperfectum necessario sibi deposcentes, peccavit. Lambini igitur nec si possit scribentis conjectura tum has ipsas ob causas, tum quod sententiam efficit nostrae plane contrariam, falsa intelligitur. Goerenzii quidem scribendi explicandique

ratio etiam plura habet, quae acerrime perstringantur necesse sit. Primum enim evitare verbum temere putavit a librariis adjectum, quod probam verborum sententiam non caperent. Quam ille autem probam dixit sententiam, eam facere non possum, quin ineptissimam dicam maximeque hoc loco alienam, quum veteres, si quidem eam sequimur, absurdum existimasse dicantur, si quis dolorem evitari posse, sibi persuaderet. Quod plane aliter se habere, satis Goerenzium docere poterant verba, quae §. 20. hujus libri reperiuntur „non dolendi Hieronymus.“ Huc accedit, quod ne significare quidem verba illa id possunt, quod summa vi expressit Goerenzius. Si idem denique e verbis antecedentibus aliquis sumendum idque ante posset cogitatione supplendum putat, ne id quidem recte fecisse judicandus est, quum neque aliquis in enunciatione negativa ferri queat, et quisquam, quod paullo antecessit, etiam ad verba nisi etiam posset pertinere pateat. Cfr. Cic. Acad. II, 7. 22. Similiter Handius ad Worp. Lectt. Tull. p. 3. meliora interpretes docuit, quippe qui Cic. Acad. I, 1. 2. in verbis: intemperantis enim arbitror esse, scribere, quod occultari velit, neque aliquis Pronomen mente supplendum neque velis scribendum ostenderet, quum velit ad intemperantis vocabulum esset referendum. Jam vero transeundum est ad Davisium qui evenire scripturam, quam Cod. Eliens. praebet, defendit. Quod vel maxime videtur improbandum, tum quod plurrimorum Codicum auctoritate temere neglecta, unius tantum auctoritatem secutus est, tum vero, quod moleste cogitatione supplentur verba: „ut dolorem effugerent.“ Nihilo tamen minus nisi pro nesi scribendum esse patet, quum vitatio doloris, si qui-

dem is revera evitari possit, ab Hieronymo in summo bono posita sit. Ernestius autem, cui, etsi evitari scribi jussit, tamen magis evenire scriptura placebat, vituperandus est tum propter hanc scripturam eodem modo, atque Davisius, tum propter evitari correctionem, quum Codicum omnium scriptura propter antecedens quisquam ferri possit optime. Neque denique Orellium, qui occultiorem hujus loci corruptelam esse judicat taliaque quaedam desiderat, qualia „etiamsi evitari non posset“ horum verborum sententiam perspexisse, luculenter patet. Quam si perspexisset, tum profecto Codicum scriptura eandem effici intellexisset sententiam, quam ille ipse desideraret.

Cic. Fin. I, 11. 38. Illud enim ipsum (quod quibusdam medium videtur) quum omni dolore vacaret, non modo voluptatem esse, verum etiam summam voluptatem. Plura h. l. a VV. DD. sunt perturbata. Quae quum paene omnia tolleret Goerenzius: pauca tamen quaedam ipse peccavit, quae non taedeat paucis indicare. Is enim quum et videtur, pro quo Rathius conjecit videretur, jure tueatur, et careret, pro quo Codd. plures caret praebent, quodque, etiamsi recte se haberet, pro Praesente tamen positum temere judicavit Mathiae, rectissime ita defendat, ut ex placuit illud pendere demonstret: tamen et quod Pronomen, quod idem ait significare atque quale ea, quae Relativi propria est vi rectius intelligitur, neque ad careret, ut ille opinatur, mente supplendum est voluptas, (id quod absurdum est), potiusque Epicurus ipse, cujus paullo ante mentio facta est, intelligendus.

Cic. Fin. IV, 13. 33. Tale enim visum esset ultimum Stoicorum. Etsi omnes post Ernestium interpretes recte in hisce haeserunt, nemo tamen eorum quicquam excogitavit, quod vel speciem veri referret. Goer. quidem, cui in visum vocabulo vitium quaerendum videbatur, ejus loco scribendum suasit verum ita, ut significaret: naturae vere consentaneum. Schuetzius vero ejus confidentia adductus plane illud judicavit delendum esse. Quorum tamen uterque longissime a vero aberravit. Quum enim esset, quod maxime offensioni est, relinquatur: tum visum, cur suspectum sit, nullo modo intelligitur. Namque videri vel addito Dativo quodam, vel non addito, aeque de philosophorum dogmatis, atque de Senatus Consultis judicumque sententiis usurpatur Cfr. Cic. Fin. II, 13. extr. Quae Phyrrhoni visa sunt pro nihilo. Propius igitur ad verum accessisse putandus est Bremius, cui, quum visum bene se putaret habere, recte videbatur vitium latere in esset vocabulo. Quamquam ne is quidem verum assecutus est pro esset scribendo esse. Neque enim intelligitur, quomodo oratio indirecta ex directa illa subito ac temere mutata defendi queat. Cujus commutationis etsi plura reperiuntur exempla: tamen causa quaedam, cur facta sit mutatio, quam hic patet nullam esse, ubique cernitur. Cfr. Wopk. Lectt. Tull. p. 303 et 304. ed Hand. Cic. Nat. Deor. III, 21. 54. Cic. Nat. Deor. I, 27. 75. Scribendum igitur censeo visum est. Nam est tam saepe a librariis in esset mutatum reperitur, ut neminem sane miraturum existimem, quod invitis Codicibus illud correxerim, praesertim quum Imperfecta antecedentia facile hoc loco librarios possent inducere, ut pro Praesente tempore ponerent Imperfectum.

Cfr. Cic. de div. I, 10. 16. idque (sc. caput simulacri) inventum est eo loco, qui est ab haruspicibus demonstratus. Sic enim recte dedit Orellius et Giese, quum Schuetz. et Nobbe Ernestii conjecturam esset, duobus Moseri Codd. confirmatam, recepissent. Cic. pro Planc. 3, 8. Nam si ita esset, quod patres apud majores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent comitiorum, id haberent judices; vel, quod multo minus est ferendum (tum enim magistratum non gerebat is, qui ceperat, si patres auctores non erant facti): nunc postulatur a vobis, ut ejus exilio, qui creatus sit, judicium populi romani reprehendatis. Hoc quidem loco propter verba, quae sequuntur nunc postulatur a vobis pro ferendum esset necesse est scribatur ferendum est; quod recte Orellius, quum Ern. et Schuetz. esset scriberent, revocavit. Quamquam ille quidem in eo peccavit, quod parenthesis signa huic loco non applicavit. Cic. Brut. 70, 246. ut non cum adversario solum, sed etiam (quod mirabile esset) cum judice ipso — jurgio saepe contenderet, ubi pro mirabile esset necessario scribendum est, mirabile est, quum non minus temere contra omnium, ut videtur, Codicum auctoritatem Grut. Ern. Schuetz. Ellendt. illud omiserint, quam Manut. Lamb. Orellius retinuerunt. Imperfecto enim conditio quaedam continetur, qua id, cui appositum sit, revera non esse, significetur Cfr. Cic. Legg. II, 7. 18. Leges autem a me edentur non perfectae; nam esset infinitum (sc. si perfectas edere vellem), sed ipsae summae rerum atque sententiae. Quod quum sic se

habeat, facile intelligitur, neque illis locis, neque huic aptum esse Imperfectum, Praesens vero aptissimum. Quippe Stoicos tali fere ratione ultimum bonorum definiisse significatur.

Quae Cic. Fin. IV. 20. 56. Vulgo scribuntur verba: natura ipsa accomodata esse concedit, quum facillime Dav. Ern. Schuetz. corrupta intelligerent, temere tamen verborum ordine prorsus expellenda statuebant. Nec vero quicquam Lambinum profecisse puto, qui naturae ipsi restituendum putavit. Quod tum profecto necessario fieri faterer, si accommodata Adjectivum ita Codicum auctoritate esset stabilitum, ut loco moveri non posset. Quum tamen Codicum ne ullus quidem, quod equidem sciam, illud tueatur potiusque omnes, qui innotuerunt Codices, constanter aut commodo, aut commodata, aut denique commoda exhibeant: a Cicerone videtur scriptum fuisse commoda. Quod huic loco aptissimum esse intelligitur, si ante naturâ vocabulum commate interpunxeris verbaque naturâ ipsâ casu sexto posita judicaveris. Eodem plane modo paullo post c. 21. §. 59 fortunae corporisque bona commoda auctor nominat, Stoicorum secutus rationem. Cfr. praeterea Cic. Legg. I, 21. 55. Nunc vero quum — divitias, valetudinem, pulchritudinem commodas res appellet, non bonas, paupertatem, debilitatem, dolorem incommodas, non malas. Cic. Fin. V, 11. 45. In enumerandis autem corporis commodis si quis cet. Ita ne Lallemandi quidem conjecturam ingeniosam illam commendata necessariam esse apparet. Goerenzii denique scribendi ratio: naturâ ipsa commodata quo minus vera sit, duo ob-

stant. Primum enim desideratur a Praepositio ante natura Ablativum. Quod quum sentiret, Ablativis non plenis eum putavit annumerandum esse. Quod quomodo fieri possit, equidem fateor me non intelligere. Tum vero vel eo, quod ipsa non ad naturâ Ablativum, sed ad bona putavit pertinere, totam turbasse censendus est verborum structuram.

Cic. Fin. V., 12. 35. Verba: neque dubium est, quin frons, oculi, aures et reliquae partes, quales propriae sunt hominis, intelligatur, quae aut temere mutata a superioribus, aut certe minus recte intellecta et explicata sunt, sanissima videntur esse. Repetendum enim cogitatione est ante intelligatur e superioribus „quam aptae ad naturam sint.“ Quod si feceris, tum et a Nissenio et a Mathiaeo temere illatum Conjunctivum intellexeris. Quamquam illius quidem conjecturae (pro quales enim scribendum censuit quam) perversitas vel sic perspicitur, quod proprium aliquid potest esse alicujus rei neque tamen aptum ad naturam. Neque denique Goer. recte intelligatur ad frons referendum censet. Quum enim postrema verba Plurali numero posita sint, aeque necesse erat h. l. atque Cic. Quint. Fr. 1, 1. ubi eadem fere verba reperiuntur, si intelligere transitive esset usurpatum, Pluralis poneretur. Neque vero causam video ullam, cur intelligere transitive potius, quam intransitive intelligendum sit, quum eadem tamen, sive hoc, sive illo modo positum judicaveris, cogitatione sint supplenda.

Cic. Fin. V., 16. 45. Si enim (ut mihi quidem videtur) non explet naturae bona vo

luptas, jure praetermissa est; sin est in ea, quod quidam volunt, nihil impedit nostram comprehensionem summi boni. Quae scriptura confirmatur Codicibus omnibus praeter Gud. 2, qui sit, et Basil., qui e s t post si enim verba inserit. Qua re motus Goer. sic scribendum conjecit: Si enim est (ut mihi quidem videtur) nec explet — est; si non est, non impedit cet. Qua de conjectura post viderimus. Vulgatam enim scripturam si primum recte interpretando confirmaverimus, tum et reliquae conjecturae facillime cognoscentur haud necessariae, et ea, quae praeterea peccata sunt, magis apparebunt. Necesse vero est, quum de voluptate naturae bonis, tamquam parte aut annummeranda, aut eximenda quaeratur, altera conditio haec sit: si naturalibus bonis accensenda non est; haec altera: sin autem illis tamquam pars genere continetur. Quod revera sic se habet. Quum enim sin est in ea verbis haec posterior efficiatur conditio, ut et ipsa haec verba, et quae sequuntur ostendunt: tum superior illis continetur. Explere enim saepissime hanc habet vim, ut mancum aliquid plenum reddere significet. Cic. Brut. 42. Sic et habet, quod uterque eorum habuit, et explevit, quod utrique defuit. Cic. Off. III., 7. Hanc partem relictam explebimus. Cic. Caec. io. In eum quid dicam, nisi id, quod negare non possit — non ad cognoscendam causam, sed ad explendam damnationem praesto fuisse. Jam vero quod attinet in ea verba, supplendum cogitatione est naturâ, quod facillime ex eis, quae antecedunt, verbis sumitur. Quod quidem nullo pacto potest mirum videri, quum Cic. Acad. I., 5. 20. natura eodem modo positum sit

pro naturae bonis. Ita quidem patet, nec Davisii suspicionem in eis, probatam illam quidem ab Ernestio, nec Bremii conjecturam inter e a, Orellio certe haud improbatam assensione posse comprobari. Goerenzii quidem conjectura non solum necessaria non est (nam sit Cod. Gud. 2. et est Basil. librariis deberi, satis eum poterat illa ipsa discrepantia monere), sed etiam plures ob causas falsa perspicitur. Primum enim verba illa: „ut mihi quidem videtur“ prohibere videntur, quo minus vera possit haberi. Quippe si corporis commodis voluptatem annumeratam voluisset, haud dubie eam addidisset. Deinde vero ineptissime dicitur voluptas jure praetermissa esse, si tamquam pars genere, naturae bonis continetur; et non impedire conclusionem illam summi boni, si naturae bonis omnino annumeranda non est. Huc denique si addideris ne sequentia quidem verba, quae sine controversia ad conditionem posteriorem referenda sunt, tum satis apta fore: profecto Goerenzii conjecturam, etsi confidentissime ab eo propositam Schuetzioqne probatam, falsissimam intelliges.

Cic. Brut. 20., 79. Habitum eloquentem M. alium illius, qui sacra acceperit filium; dicunt etiam cet. Duo in hisce esse, quae corrupta sint, non obscurum est. Quorum quum alterum Ernestius eo tolleret, quod dicunt verborum ordine expulit: alterum tamen et ille reliquit, neque ii, qui eum exceperunt, interpretes sustulerunt. Qui quum perperam existimarent M. alium literis illis patris praenomen contineri, veram scripturam elicere profecto non poterant. Nam quum Scipio ille Publii praenomine uteretur, non sane perspicitur, quomodo in hunc potissimum mo-

dum corrumpi illud potuerit. Neque vero opus est isto praenomine, si quidem non solum ante nomina et cognomina (Cic. Fam. XIII., 36. innumerisque locis aliis), sed etiam ante ille Pronomen saepius omissum videmus. Cfr. 62., 221. Quod quum maxime fieri soleat, si, quis intelligendus sit, non potest dubitari: temere Goerenzius Cic. Fin. IV., 24. 65. Ti. ante filium addisse censendus est. Videtur igitur Manutii ajunt pro M. alium scribentis correctio, quam Lallemandus recepit, grato animo agnoscenda. Quamquam enim non opus est tali quodam verbo dicendi: tamen quum ad Codicum vestigia maxime accedat, neque ineptum sit ullo modo, nihil hac re quod melius et certius sit, video. Neque vero id potest offensioni esse, quod post ajunt demum ponuntur verba illa: illius, qui sacra acceperit, filium. Idem enim factum videmus Brut. 26, 99. Verba igitur Ciceronis restituenda sunt hoc modo: eloquentem ajunt, illius, qui sacra acceperit filium. Nam Schuetzii quidem conjecturam accepit pro acceperit, etsi nec Ellendtio, nec Orellio displicuit: tamen, quum sit invitis Codicibus facta neque necessaria ullo modo, falsam esse patet. Neque enim minus apte verba illa eis hominibus, qui eloquentem esse Scipionem Nasicam ajebant, quam Ciceroni ipsi tribuuntur. Alteram denique quod attinet Schuetzii suspicionem: P. illius, Idaeae matris qui sacra accepit, filium: recte illa refutata est ab Ellendtio. Quamquam illius argumento vel hoc addendum fuit, invitis Codicibus talia auctori intrudi non posse.

Cic. Brut. 29., 110. In quibusdam laudandis viris, etiamsi maximi ingenii non essent, probabilis tamen industria. Quae

verba miror ab Orellio sine ulla dubitatione in verborum ordinem esse recepta. Nam quum gravis superiorum interpretum dissensio eum posset reddere attentiorem: tum haec verba ipsa, quibusdam vitio quodam laborare, satis eum poterant monere. Quum enim In quibusdam laudandis viris eaque, quae sequuntur verba ad Scaurum et Rutilium pertineant: pro In quibusdam scribatur necesse est: In quibus tam. Idem intellexerunt et Ernestius, qui, etsi vulgatam scripturam servavit, scribendum tamen suspicatus est: In quibus sane laudandis viris et Schuetzius, qui confidenter conjecturam illam in verborum ordinem recepit. Quorum uterque mentem auctoris assecutus est, verba non item restituit. Idem plane cadit in Ellendtium, qui e Cod. Gud. 1. pro quibusdam scribendum censuit his quidem. Namque scripturam illam haud difficile est intellectu, a librario aliquo esse profectam, qui, quum veram auctoris sententiam perspiceret, quibusdam non ferendum putavit. Neque denique Lambinus, qui sripsit: versatus. - Erat in eis, etiamsi cet. falsam quandam auctori mentem subjecit. Quamquam ille quidem magis etiam reprehendendus est, quum non solum violentius Ciceronis mutaverit verba, sed falso etiam post versatus Participium majore quadam distinctione posita, Erat ad verba sequentia putaverit referendum. Eodem modo Junt. et Manut. vulgatam scripturam distinxerunt idque haud improbasse videtur Orellius. Sed tamen, etiamsi vulgatam retinueris scripturam, erat potius versatus Participio adjungendum est maximeque illud necessario fieri apparet, si pro quibusdam posueris quibus tam. Tam autem illud Adjectivis Adverbiisque additum adeo frequentatur, ut pauca quaedam af-

dum corrumpi illud potuerit. Neque vero opus est isto praenomine, si quidem non solum ante nomina et cognomina (Cic. Fam. XIII., 36. innumerisque locis aliis), sed etiam ante ille Pronomen saepius omissum videmus. Cfr. 62., 221. Quod quum maxime fieri soleat, si, quis intelligendus sit, non potest dubitari: temere Goerenzius Cic. Fin. IV., 24. 65. Ti. ante filium addisse censendus est. Videtur igitur Manutii ajunt pro M. alium scribentis correctio, quam Lallemandus recepit, grato animo agnoscenda. Quamquam enim non opus est tali quodam verbo dicendi: tamen quum ad Codicum vestigia maxime accedat, neque ineptum sit ullo modo, nihil hac re quod melius et certius sit, video. Neque vero id potest offensioni esse, quod post ajunt demum ponuntur verba illa: illius, qui sacra acceperit, filium. Idem enim factum videmus Brut. 26, 99. Verba igitur Ciceronis restituenda sunt hoc modo: eloquentem ajunt, illius, qui sacra acceperit filium. Nam Schuetzii quidem conjecturam accepit pro acceperit, etsi nec Ellendtio, nec Orellio displicuit: tamen, quum sit invitis Codicibus facta neque necessaria ullo modo, falsam esse patet. Neque enim minus apte verba illa eis hominibus, qui eloquentem esse Scipionem Nasicam ajebant, quam Ciceroni ipsi tribuuntur. Alteram denique quod attinet Schuetzii suspicionem: P. illius, Idaeae matris qui sacra accepit, filium: recte illa refutata est ab Ellendtio. Quamquam illius argumento vel hoc addendum fuit, invitis Codicibus talia auctori intrudi non posse.

Cic. Brut. 29., 110. In quibusdam laudandis viris, etiamsi maximi ingenii non essent, probabilis tamen industria. Quae

verba miror ab Orellio sine ulla dubitatione in verborum ordinem esse recepta. Nam quum gravis superiorum interpretum dissensio eum posset reddere attentiorem: tum haec verba ipsa, quibusdam vitio quodam laborare, satis eum poterant monere. Quum enim In quibusdam laudandis viris eaque, quae sequuntur verba ad Scaurum et Rutilium pertineant: pro In quibusdam scribatur necesse est: In quibus tam. Idem intellexerunt et Ernestius, qui, etsi vulgatam scripturam servavit, scribendum tamen suspicatus est: In quibus sane laudandis viris et Schuetzius, qui confidenter conjecturam illam in verborum ordinem recepit. Quorum uterque mentem auctoris assecutus est, verba non item restituit. Idem plane cadit in Ellendtium, qui e Cod. Gud. 1. pro quibusdam scribendum censuit his quidem. Namque scripturam illam haud difficile est intellectu, a librario aliquo esse profectam, qui, quum veram auctoris sententiam perspiceret, quibusdam non ferendum putavit. Neque denique Lambinus, qui sripsit: versatus. Erat in eis, etiamsi cet. falsam quandam auctori mentem subjecit. Quamquam ille quidem magis etiam reprehendendus est, quum non solum violentius Ciceronis mutaverit verba, sed falso etiam post versatus Participium majore quadam distinctione posita, Erat ad verba sequentia putaverit referendum. Eodem modo Junt. et Manut. vulgatam scripturam distinxerunt idque haud improbasse videtur Orellius. Sed tamen, etiamsi vulgatam retinueris scripturam, erat potius versatus Participio adjungendum est maximeque illud necessario fieri apparet, si pro quibusdam posueris quibus tam. Tam autem illud Adjectivis Adverbiisque additum adeo frequentatur, ut pauca quaedam af-

ferre exempla sufficiat. Caes. B. G. 1, 16. Graviter eos accusat, quod, quum neque emi, neque ex agris sumi posset, tam necessario tempore, tam propinquis hostibus, ab his non suplevetur. Cic. Phil. XII., 5. Cic. Orat. I, 55. 234. Cic. Brut. 10, 40.

Cic. Brut. 60., 218. Ut in eo libro, ubi se exeuntem e Senatu et cum Pansa nostro et cum Curione filio colloquentem facit cet. Ubi quum Ern. quem Caesar habuisset verba parum recte uncis inclusisset, reliqua vera judicasset: Schuetzius non solum verba illa priora quum senatum Caesar habuisset rectius abjicienda putavit, verum hoc etiam vidit, ductus Participium parum recte se habere. Idem judicavit Ellendtius. Quamquam de hoc quidem illis non convenit, quomodo vitium sit tollendum. Schuetzius enim conjecit ducitur, Ellendtius autem Lambini esset suadentis suspicionem probavit. Quorum tamen neutrum verum est: Quum enim illud propter Codicum auctoritatem, qui constanter ductus praebent, improbandum sit; tum hoc grammaticis etiam rationibus repugnare facile est intellectu. Quare addendum censeo est, quod propter compendium Ē, quo plerumque in Codd. scribitur, ante *e* Praepositionem facile poterat praetermitti.

Cic. Brut. 66, 234. Sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora admirando irridebat, calebat in agendo, ut ea, quae deerant, non desiderarentur. Quibus in verbis, etsi Codicum plane omnium auctoritate confirmatis, mirandum est neminem interpretum ante Schuetzium haesisse. Neque tamen ille conjiciens: „admirantes irretiebat et sic calebat in agendo" cet., neque Buttmannus, qui scribendum putavit: „admirando, irridendo splendebat, calebat in agendo" verum videtur assecutus esse. Nam quum nimis eorum conjecturae a Codicum vestigiis recedant: tum alteram quandum dicendi virtutem praeter actionem Lentulo tribuunt; id quod aperte auctoris menti contrarium est. Ellendtium vero scribentem „admirando, irridendo calebat, in agendo ut ea" cet., etsi vera Ciceronis verba restituisse putandus est, mentem certe ejus neglexisse patet, quippe qui eo, quod calebat referendum illud quidem ad verba in agendo, ad verba antecedentia admirando, irridendo putavit pertinere, sententiam quandam auctori subjiceret prorsus contrariam ei, quae h. l. desideratur. Unde intelligitur, ab Orellio temere conjecturam illam esse probatam longeque optimam habitam earum, quae usque eo essent prolatae. Vera ut existat sententia, interpungendum necessario est post irridendo. Sic, minima verborum mutatione, sententia efficitur haecce: „Quum intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora vel admiraretur, vel irrideret, sic calebat in agendo, ut ea, quae deerant (i. e. ceterae dicendi virtutes) non desiderarentur. Optime vero admirando, irridendo Gerundia sine ulla copula posita sunt; id quod saepe fit in verbis sibi oppositis. Cfr. Cic. Orat. 42, 144 si interdum etiam una legendo, audiendo. Similiter sibi opponuntur et Adjectiva, veluti docti, indocti et Adverbia, ut hac, illac Ter. Heaut. III, 2. 1.

Cic. Brut. 82, 283. Sed ad Calvum (is enim nobis erat propositus) revertamur: qui orator fuisset quum litteris erudi-

ferre exempla sufficiat. Caes. B. G. 1, 16. Graviter eos accusat, quod, quum neque emi, neque ex agris sumi posset, tam necessario tempore, tam propinquis hostibus, ab his non suplevetur. Cic. Phil. XII., 5. Cic. Orat. I, 55. 234. Cic. Brut. 10, 40.

Cic. Brut. 60., 218. Ut in eo libro, ubi se exeuntem e Senatu et cum Pansa nostro et cum Curione filio colloquentem facit cet. Ubi quum Ern. quem Caesar habuisset verba parum recte uncis inclusisset, reliqua vera judicasset: Schuetzius non solum verba illa priora quum senatum Caesar habuisset rectius abjicienda putavit, verum hoc etiam vidit, ductus Participium parum recte se habere. Idem judicavit Ellendtius. Quamquam de hoc quidem illis non convenit, quomodo vitium sit tollendum. Schuetzius enim conjecit ducitur, Ellendtius autem Lambini esset suadentis suspicionem probavit. Quorum tamen neutrum verum est: Quum enim illud propter Codicum auctoritatem, qui constanter ductus praebent, improbandum sit; tum hoc grammaticis etiam rationibus repugnare facile est intellectu. Quare addendum censeo est, quod propter compendium Ē, quo plerumque in Codd. scribitur, ante *e* Praepositionem facile poterat praetermitti.

Cic. Brut. 66, 234. Sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora admirando irridebat, calebat in agendo, ut ea, quae deerant, non desiderarentur. Quibus in verbis, etsi Codicum plane omnium auctoritate confirmatis, mirandum est neminem interpretum ante Schuetzium haesisse. Neque tamen ille conjiciens: „admirantes irretiebat et sic calebat in agendo" cet., neque Buttmannus, qui scribendum putavit: „admirando, irridendo splendebat, calebat in agendo" verum videtur assecutus esse. Nam quum nimis eorum conjecturae a Codicum vestigiis recedant: tum alteram quandum dicendi virtutem praeter actionem Lentulo tribuunt; id quod aperte auctoris menti contrarium est. Ellendtium vero scribentem „admirando, irridendo calebat, in agendo ut ea" cet., etsi vera Ciceronis verba restituisse putandus est, mentem certe ejus neglexisse patet, quippe qui eo, quod calebat referendum illud quidem ad verba in agendo, ad verba antecedentia admirando, irridendo putavit pertinere, sententiam quandam auctori subjiceret prorsus contrariam ei, quae h. l. desideratur. Unde intelligitur, ab Orellio temere conjecturam illam esse probatam longeque optimam habitam earum, quae usque eo essent prolatae. Vera ut existat sententia, interpungendum necessario est post irridendo. Sic, minima verborum mutatione, sententia efficitur haecce: „Quum intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora vel admiraretur, vel irrideret, sic calebat in agendo, ut ea, quae deerant (i. e. ceterae dicendi virtutes) non desiderarentur. Optime vero admirando, irridendo Gerundia sine ulla copula posita sunt; id quod saepe fit in verbis sibi oppositis. Cfr. Cic. Orat. 42, 144 si interdum etiam una legendo, audiendo. Similiter sibi opponuntur et Adjectiva, veluti docti, indocti et Adverbia, ut hac, illac Ter. Heaut. III, 2. 1.

Cic. Brut. 82, 283. Sed ad Calvum (is enim nobis erat propositus) revertamur: qui orator fuisset quum litteris erudi-

tior, quam Curio; tum etiam accuratius quoddam dicendi et exquisitius afferebat genus. Hac in scriptura, quam Codd., quod equidem sciam, Editionesque veteres tuentur omnes, turbatum aliquid esse, prudentiores hujus libri interpretes confitentur omnes. Minus tamen inter eos convenit, quonam modo vitium illud sit tollendum. In margine enim edit. Lamb. a. 1584 proponitur: qui quum orator fuisset litteris eruditior; quod Ellentius ita probavit, ut quum orator verba transponens scriberet orator quum. Schuetzius vero orator vocabulo prorsus omisso posuit, qui quum fuisset literis. Quorum tamen nihil verum est, quum neque transpositio ista quum Conjunctionis possit probari, neque, ut possit sic transponi (quod profecto non potest), suo illa loco inserta sit particula, neque denique orator jure omittatur. Propius quidem ad verum accessisse putandus est et Corradus, qui scribendum putavit hoc modo: qui orator fuit, sed quum cet. et Orellius, qui conjecit: qui orator fuit quum cet. Illi enim hoc certe primi intellexerunt, fuisset deberi librariorum ingeniis. Quod quomodo natum esset, si accuratius attendissent: tum profecto neque, quum particula servata, fuit sed (nam sed hujus loci sententia plane respuit) scripsisset Corradus, neque fuit simplex Orellius. Videtur enim fuisset ortum esse ex fuit et. Posteaquam vero Conjunctivus Modus librariorum incuria quadam, vel potius inscitia illatus est: quum Conjunctio vel propter tum, quod sequitur, vel propter fuisset Conjunctivum desiderata atque intrusa videtur. Censeo igitur Ciceroni esse restituenda verba haecce: „Sed ad Calvum (is enim nobis erat propositus) revertamur, qui orator fuit et litteris eruditior, quam Curio, tum etiam cet. Quod librarii autem et — tum, tum — et, tum — que nesciebant sibi respondere, id minime puto mirandum, quum ne Viri Docti quidem usum illum satis cognitum habeant. Nam Cic. Brut. 83, 320 Schuetzius et in ceteris eloquentiae partibus verba perperam sic corrigenda censet, ut et in quum mutetur, Orelliusque neque hoc improbat, et ut particulam, quam in Codd. Gu. A et B. editioneque Norimbergensi reperiebat, temere praeferendam judicat. Eodem modo Cic. Nat. Deor. II. 58. 145. Schuetzius tum particulâ ante venustatem (praeeuntibus Lambino et Davisio) deletâ, structuram verborum conturbavit, quamquam Orellius et illo loco et Cic. Acad. I, 4. 16. (hoc quidem loco ne Schuetz. quidem adversatur) tum — et judicavit recte se habere, ut non satis inconstantiam eorum possis mirari. Neque denique non Cic. Fam. XVI, 21. 3. Orellius et — tum etiam Cod. Medicei editionisque Cratr. Benedict. Graev. min. recte restituit, quum Lamb. Ern. Schuetz. quum pro et particula excudendum curassent.

Cic. de inv. I, 23. 33. Hoc igitur vitandum est, ne cujus genus posueris, ejus aliquam cet. Quae verba quum in omnibus omnino Codicibus corrupta reperirentur, multum interpretum exercuerunt ingenia. Neque tamen ullam ab iis video scripturam excogitatam, quae jure a Cicerone profecta posset existimari. Atque tres quidem exstant VV. DD. sententiae, quas commemorare necesse sit. Quarum quidem de prima, quam ex Graevio — Oudendorpio — Burmanniana editione recepit Ernestius, secum verborum ordine expel-

lendum est, sicuti autem a librariis quibusdam falso transpositum post aliquam collocandum. Utrumque videtur recte factum esse, quum sicuti ad sola verba diversam ac dissimilem esse referendum appareat, secum autem prorsus absurdum aperteque corruptum intelligatur. Neque ego hanc scribendi rationem improbarem ullo modo, nisi Neutri Pronominis Genitivos et Dativos Neutro Pronominum genere, quo ad quod illi genus sint referendi, significetur, non praecendente, substantive posse usurpari diffiderem. Quae est altera Becichemi conjectura, probata illa a Schutzio: „cujus genus posueris, ejus speciem aliquam sicuti diversam partem ac dissimilem" ea, quum eodem, quod modo exagitavi, non vacet vitio, non magis potest probari. Atque tertia illa quidem Purgoldi conjectura, a cujus approbatione non multum videtur Orellius abhorrere, quo minus vera possit judicari, tria obstant. Primum est idem, quod in priorum utraque desideravi, substantivum quoddam Pronomini addendum. Alterum, quod displicet, hoc est, quod secundum id verbis illis moleste additur id, quod sua sponte melius intelligitur. Quod eo est molestius, quum non tam id intersit, ne secundum genus ponatur pars, quam id potius, ne collcetur genus et pars generis, tamquam ab illo diversa, in eadem partitione. Denique vero ne id quidem ferendum puto, quod aliquam Pronomen ab ejus Pronomine secundum id verbis disjungitur. Durius est profecto, quam quod Ciceroni tribuerim.

Quae quum ita sint, nihil videtur neque aptius neque facilius, quam rei vocabulum post ejus Pronomen in orationem inserere. Secum enim ex rei

rei vocabulo cum secuti, quod pro sicuti in nonnullis Codd. reperitur, commixto ortum videtur. Verborum ille quidem ordo quamquam est rarior, pluribus tamen comprobari potest exemplis. Cfr. Cic. de inv. I, 43. 81. Postremo scisse, de qua quaeritur, ejus rei legem et consuetudinem. Cic. Quint. 16, 53. Non in eam turpitudinem venisses, ut hoc tibi esset apud tales viros confitendum, qua tibi vadimonium non obitum sit, eadem te hora consilium cepisse, hominis propinqui fortunas evertere. Caeterum rem etiam Cic. Fin. V, 25. 74. propter alteram Pronomen antecedens excidisse videmus recteque a Davisio restitutum.

Cic· de inv. I, 29. 45. Enumeratio est, in qua pluribus rebus expositis et ceteris infirmatis, una reliqua necessario confirmatur. Necessario etsi omnes, quod equidem sciam, tuentur Codices, tamen ferendum puto nullo modo. Quum enim inter necessario et necessarie confirmatur hoc intersit, ut illud sit: „necesse est confirmetur," hoc autem: „confirmatur ita, ut refelli refutarique nequeat:" hoc certe loco necessarie desideratur. Neque vero id puto magni esse faciendum, quod Codd. omnes constanter praebent necessario, quum et litterae illae saepe sint inter se commutatae, neque librarii discrimen illud perspectum haberent. Ita de inv. I, 29. 44 eodem modo Codd. pro necessarie praebent necessario; ubi inter utrumque nihil plane interesse perperam judicavit Orellius.

Cic. Orat. 18, 57. Dicit plura etiam Demosthenes illumque saepe dicit voce dulci et clara fuisse. Haec verba haud dubie ita sunt comparata, ut nisi leni quadam mutatione restituantur, vera haberi omnino nequeant. Quum enim Dativus quidam desideretur, quo ad Aeschinem illa pertinere significetur, tum vel maxime dicit illud duplex offensioni est. Quod quum plane hujus libri interpretes perspicerent, alii alio modo vitium tollere conabantur. Lambini quidem: „Objicit plura Aeschini Demosthenes" mutandi ratio, quum inepta sit vel eo, quod neque hoc verisimile est, verba illa, si quidem illo modo a Cicerone scripta essent, a librariis esse corrupta, neque, si maxime essent corrupta, id intelligitur, quomodo in hunc potissimum modum corrumpi potuerint: tum prorsus improbanda est, quod non satis inter se connexa sunt verba et copulata. Meyero quidem, novissimo hujus libri interpreti, qui margini haec credit a magistro aliquo adscripta fuisse, quum neque vis sententiae augeatur, et verba ipsa plane sint incondita, prorsus assentirer, nisi haud ita raro Ciceronem talia, tamquam corollarii loco, addidisse constaret, quae nihil plane facerent ad rem ipsam. Quod quidem h. l. eo minus potest quemquam offendere, quo magis suum auctor putasse videtur, significare, plus in Aeschine, quam in Demosthene, ut in oratore perfectiore, reprehendenda fuisse. Quamquam igitur sententiam a Ciceronis ingenio nequaquam puto alienam esse: tamen verba ipsa, quae quidem nunc in Codd. exstent, a Cicerone profecta nego. Idem quum sentiret Schuetzius, sic haec verba emendari voluit, ut pro dicit scriberetur et huic. Hoc modo etsi sententia efficitur ea, quae requiratur: tamen neque

Codicum vestigia satis sunt expressa, neque huic propter sequens illumque ferri potest. Suadeo igitur pro dicit scribas sed illi. Quod quominus conjicias, neque Codicum vestigia prohibent, (eodem enim modo Cic. Acad. II, 25. 80. inter distinguis et desine sed particula excidit), neque verborum ipsorum significatus. Quemadmodum enim sed saepenumero est transeuntis, ita ut leniter tantum adversetur: ita ille Pronomen, quod plerumque ad remotiora spectat, haud ita raro ad propiora refertur. Cfr. Cic. Fin. II, 12. 35. Epicurus autem, quum in prima commendatione voluptatem dixisset: si eam, quam Aristippus, idem tenere debuit ultimum bonorum: sin eam, quam Hieronymus, fecisset idem, ut voluptatem illam in prima commendatione poneret. Quo loco illam Pronomen librarios decepisse videtur, ut ad Aristippum putarent referendum. Quare Aristippi potius Genitivum, quum et in Cod. Ursini et apud Marsum omittatur, a librariis additum puto, quam omissam non particulam.

Cic. pro Planc. 5, 13. Quare aut redde mihi, quod ostenderas, aut si, quod mea minus interest, id te magis forte delectat, reddam tibi istam aedilitatem etiam negligenter petenti. Haec verba, in quibus nemo interpretum offendit, nego ferri posse, quum praebeant sententiam quandam ei, quae exspectetur, plane contrariam. Exspectatur enim talis quaedam sententia: „Aut redde mihi, quod ostenderas, aut ne ego quidem aedilitatem tibi reddam." Ad quam efficiendam quamquam cui videri possit negativa quaedam particula deesse: ea tamen

nullo modo opus est. Si enim post petenti Participium interrogandi signum posueris, tum sententia quaedam negativa existit, quae vel aptior graviorque sit, quam si negationem quandam adjeceris. Aptissime vero verba illa: „etiam negligenter petenti" tum addita videntur, quippe quibus significetur: „praesertim quum negligenter petas."

Cic. de div. I, 1. 2. Quibus notatis, quid quoque significaretur, memoriae prodiderunt. Quomodo fieri potuerit, ut haec verba interpretes adeo vexarent nec eorum quisquam veram eliceret interpretationem, id quidem miror vel maxime. Vulgatam scripturam cuique natam ex quoque, quia, quo Pronomen illud esset referendum, librarii ignorarunt, recte refutavit Hottingerus, falso tamen signo Ablativum supplendum arbitratus. Neque vero id tam miror, quam quod Goerenzii, Schuetzii, Moseri, Giesii haec sententia tulerit assensum. Est vero luce clarius, quoque Pronomen ad verba antecedentia: „traductiones motusque" referendum esse. Masculinum quidem genus erat ponendum, quum Adjectiva vel Pronomina, si ad plura, quae varii generis sunt, Substantiva, pertinent, ei accommodentur, cui proxime apponantur. Cic. Fin. V, 12. 35. Corporis nostri partes totaque figura et forma et statura, quam apta ad naturam sit, apparet. Cic. Orat. 2, 44. 186. Medico diligenti non solum morbus ejus, cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis et natura corporis cognoscenda est.

Cic. de div. I, 30. 62. Tranquillitati mentis quaerenti vera contrariam. Codd. quidem vel quaerentis, vel quaerenti offerunt;

quorum tamen plures hanc posteriorem tuentur scripturam. Eandem quum Vict. Manut. Lamb. recepissent, Davisius exstitit, qui improbandam eam censeret. Quem quidem secuti sunt praeter Wopk. Lectt. Tull. p. 342 ed. Hand. Hottingerum, Giesium interpretes hujus libri plane omnes. Sed perperam, ut mihi quidem videtur. Quod ut accuratius demonstretur, altius repetendum est. De qualitatibus quidem et Tullium et ceteros scriptores saepissime loqui tamquam de personis vel rebus ipsis, quarum illae sint qualitates, est sane notissimum. Quare pauca tantum apponam exempla. Cic. Tusc. V, 18. 54. Etenim ut stultitia, etsi adepta est, quod concupivit, nunquam se tamen satis consecutam putat: sic sapientia semper eo contenta est, quod adest, neque eam unquam sui poenitet. Tusc. IV, 24. 54. Quid? ista bellatrix iracundia quum domum rediit, qualis est cum uxore, cum liberis, cum familia? an tum quoque est utilis? Tusc. IV, 26. 57. In hanc (sc. sapientiam) tu igitur, tamquam in mare, quod est ventis subjectum, perturbationem cadere tibi dixisti videri? ubi nuperrime Schuetzius minus recte hunc revocavit. Quod quum in singulis quibusque Substantivis recte se habeat: nemo profecto idem posse fieri infitias ibit, adjecto Genitivo quodam, quo, ad quem qualitas ista pertineat, significetur. Cfr. Tusc. II. 26. 64. Hoc igitur tibi propone: amplitudinem et quasi quandam exaggerationem quam altissimam animi, quae maxime eminet contemnendis et despiciendis doloribus, unam esse omnium rem pulcherrimam cet., ubi perperam Davisium qui pro quae scribentem secuti sunt Ern. Schuetz. Hand. Neque enim animum

omnino, sed animum amplitudine et quadam exaggeratione praeditum, unam omnium rem esse pulcherrimam contenditur. Unde intelligitur id, quod animo ipsi erat tribuendum, animi qualitati cuidam esse assignatum. Idem vero cadit in nostra verba. Nam quod animo tranquillo erat tribuendum, id tranquillitati animi tribuitur. Neque vero ullo modo, etiamsi per Codices liceat, scribendum est quaerentis, quum non animus quocunque modo affectus, sed animus tranquillus vera quaerat. Hinc patet profecto, vehementer errasse Handium ad Wopk. Lectt. Tull. p. 342, quod et auctoritatem Codicum majorem sequendam putet, et hypallagen quandam statuendam, qualis statuatur et Cic. Manil. 9, 22 eorum (sc. membrorum) collectio dispersa, et Cic. Nat. Deor. II, 19. 49. Umbra terrae sibi officiens. Denique vero ne id quidem negligendum censeo, quod Giese ad h. l. argumenti loco proposuit, Ciceronem, si quaerentis verum esset, tum ut εὐφωνία efficeretur, tum ut major quaedam vis orationi adderetur, scripturum fuisse tranquillitati mentis vera quaerentis.

Cic. Legg. II, 13. 32. Vulgo sic scribitur: Hanc ipsam partem, quae est in avibus ceterisque signis disciplinae nostrae: quod, quum summos Deos esse concedamus cet. Quam quidem scripturam nequaquam putarem contemnendam, nisi Codicum esset destituta auctoritate omnium. Ad unum enim omnes ante disciplinae nostrae verba habent aut quod, aut quid, aut quo, aut quos, aut quae, aut denique que verbaque sequentia quod quum Deos omittunt, summos Superlativo solo servato. Praeterea veró pro concedamus praebent concedimus. Quae quum

ita sint, corruptelae causa quaerenda est. Quae videtur aut inde repetenda esse, quod librarii philosophiae nostrae verba temere praetermissa falso deinde loco intruserunt, aut ex eo, quod explicandi gratia primum margini adscripta in verborum ordinem receperunt. Sive igitur ejeceris, sive suo loco reposueris, equidem non admodum repugno. Neque enim sunt necessaria, quum vel ex eo, quod de augurum disciplina sola h. l. agitur, vel ex hanc Pronomine, signa illa esse augurum satis eluceat, neque παρέλκουσι, ullo modo, ut et Wagnerus et Goer. perperam contenderunt. Nihilo tamen minus quae sequuntur verba quod summos esse vacant vitio. Necessario enim requiritur et Deos Accusativus, id quod ex contextu facile apparet, et particula quaedam, qua utrumque enunciatum inter se copuletur et connectatur. Quam utramque voculam non tam scribendi errore omissam, quam potius in unum summos Superlativum coaluisse, recte suspicatur Davisius, praesertim quum nec usquam apud Ciceronem omnes Dii appellentur summi eorumque potentia verbis, quae sequuntur, satis illustretur. Huc denique accedit, quod summos facile ex quum Deos verbis idque maxime, quod particula transposita, nasci potuit. Neque denique concedamus Conjunctivus, qui vulgatur, necessarius est, et potius Indicativus, qui Codicum auctoritate firmatur, retinendus. Quod quamquam fieri posse negat Goerenzius, tamen quum linguae romanae ratio haud adversetur, nihil plane ejus auctoritate moveor. Aeque enim h. l. atque Cic. Acad. II, 43. 133. Quid? quum ipse Antiochus dissentit quibusdam in rebus cet. Cic. de div. I, 25. 53. ipsene errat, an alios vult errare? quum scribit cet. recte se habet Indicativus. Quae quum

sic se habeant, verba illa puto refingenda hoc modo: Egone? divinationem, quam Graeci μαντικὴν appellant, esse censeo et hujus hanc ipsam partem, quae est in avibus ceterisque signis (disciplinae nostrae); quod, quum Deos esse concedimus eorumque mente mundum regi cet. Jam vero nostra his de verbis sententia exposita, restat, ut et Goerenzii et Orellii conjectura dijudicetur. Nam de Moseri quidem correctione ne ullum quidem verbum interponi necesse est, quippe quam perversissimam esse sua sponte appareat. Goerenzius igitur praeter duo illa, quae supra jam attigi peccata, duobus etiam aliis obligatur. Nam quum quod illud causale quum conjunctioni perperam putaret conjungendum: tum verba illa quam Graeci μαντικὴν appellant temere judicavit addita, ut latina vox latius patens graecâ additâ circumscriberetur. Quod vitium Giese in suam de divinatione librorum editionem transtulit. Cfr. I, 1. 1. Quorum uterque non vidit, verba illa more Ciceronis fere perpetuo esse adjecta, ut quaenam Graecorum Romanis illis responderent vocabula, appareret. Cfr. Cic. Acad. II, 8. 26. Itaque conclusio argumenti, quae graece est ἀπόδειξις, ita definitur. ib. 6, 17. comprehensio, quam κατάληψιν illi vocant ib. 9, 12. Idque necessarie confirmatur eo, quod Romanorum divinatio prorsus respondet Graecorum μαντικῇ, id quod temere negavit Goerenzius. Orellio autem hoc cum Goerenzio commune est vitium, quod aeque atque ille quod non particulam causalem putavit esse, sed si conjunctioni conjungendum. Quaestionem denique illam quod attinet a VV. DD. excitatam de eo, quod sibimet ipsi auctor libro secundo de divinatione adversetur; confitendum sane est, Goerenzii sententiam magnam quandam habere veritatis speciem. Neque tamen necesse est ei assentiamur, quum Cicero his in libris, nisi plurimas patriae leges (quod minime placebat. Cfr. Cic. Legg. II, 10. 23.) eversurus erat, non posset divinationem tollere, quae arcto quodam cum Romanorum legibus vinculo contineretur. Temporibus igitur aeque h. l. atque multis aliis sententia accommodata videtur Cfr. Planc. 36, 88 et Sext. 19, 44. Quum enim illic Consules interitus sui ultores negat futuros fuisse: hic fuisse futuros affirmat. Cujus generis exempla plurima reperiuntur in Orationibus, quippe in quibus saepissime clientium temporibus esset serviendum.

Cic. de Legg. II. 17. 44. Vulgatam scripturam: Judicia perrupta ab iisdem corrupta hominum, non Deorum esse depravatam, nemo non videt, qui vel primoribus, ut ajunt, labris, litteras degustaverit latinas. Quod quum facillime interpretes intelligerent, alii aliter haec verba corrigere conabantur. Quorum tamen conatus quum perito harum rerum arbitro satisfacere nequeant, sic ea restituenda puto: Judicia perrupta ab iisdem hominum, non Deorum. Corrupta enim Participium puto a librario aliquo aut corrigendi aut explicandi gratia margini adscriptum indeque in verborum ordinem receptum. Neque vero est cum Schuetzio, corrupta Participio servato, perrupta expungendum, quum hoc non solum difficilius intelligeretur a librariis, sed verbis etiam Ciceronis ipsius, quae in Orationis post redit. in Senatu habitae c. 3 reperiuntur, vel maxime confirmetur. Sunt vero verba haecce: Illi meum reditum non populi suffragiis, sed flumine

sanguinis intercludendum putarunt; {et paullo post: nihil judices sententiis, nihil populus suffragiis, nihil hic ordo auctoritate declaravit. Cui argumento si assumseris id, quod notissimum est, Clodium ejusque sectatores non tam fraude, quae est corrumpentis, quam vi potius, quae perrumpendo cernitur, omnia perfecisse: tum certe conjecturam meam verissimam judicabis. Neque vero illud vitiorum genus ita rarum esse, neminem fugit. Ut unum tantum afferam exemplum Cic. Orat. 1, 4. destituet, quod a librariis margini explicandi gratia erat adscriptum, eodem modo in verborum ordinem irrepsit. Sic profecto ne particula quidem restrictiva quadam opus est; quae tum necessario ante hominum addenda esset, si et perrupta et corrupta retineres. Quare quum Goer. utrumque illud Participium ἀσυνθέτως positum temere judicaret: recte tamen post corrupta at particulam addendam judicavit. Caeterum in oppositionibus, quae negandi quadam particula efficiantur, autem particulam adversativam deesse, notissimum est. Cfr. Cic. Cat. Maj. 18. Sed haec sunt morum vitia, non senectutis.

Cic. Legg. II, 22. 57. Nam priusquam in os injecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis. Haec vera sunt verba; jam vero quae sequuntur inde a verbis injecta gleba — complectitur, ea vehementer mihi sunt suspecta. Nam quamvis variae sint Codicum scripturae: hoc tamen apparet, humatus est quaeque antecedant verba ad hominem ipsum, qui humatus sit, esse referenda; quae deinde sequantur et gleba — complectitur pertinere ad sepulcrum, Quae quum ita sint,

patet structuram ipsam verborum habere aliquid, quod maxime offendat. Desideratur enim Nominativus ejus rei, quae gleba vocatur. Tum vero gleba vocabulum, quum medio aevo sit tribuendum, neque usquam ea vi, qua nostro loco intelligendum est, apud veterum scriptorum quemquam reperiatur, ferri potest nullo modo. Nam quod Goerenzius eam ob causam verba illa servanda putat, quod non sua auctor verba, sed juris pontificalis ponat: id, quum nequaquam illud possit comprobari, gleba in jure pontificio pro sepulcro esse usurpatum, nihil omnino habet momenti. Etiamsi vero verba illa omittere velis, alia tamen quaedam difficultas nascitur. Quippe tum deesse patet Nominativum quendam, ut ita dicam, Subjecti, quo, quid multa religiosa jura complectatur, significetur. Quae quidem difficultates quum neque intelligantur, quomodo apte tolli queant (neque enim Madvigii conjectura, neque Davisii, neque denique aliae aliorum probabiles sunt) totaque verborum structura satis videatur librariorum redolere et inscientiam et temeritatem: equidem verba illa plane existimo verborum ordine expellenda. Quae quidem eo facilius margini addi indeque in verborum ordinem recipi poterant, quo magis nihil habet religionis verba, ut pote non satis certa, appositionem quandam requirere videbantur, qua accuratius explicarentur. Quum tamen neque hoc necessarium sit ullo modo, neque verba, quae sequuntur: Itaque in eo cet., illis omissis, non habeant, quo recte referantur: nihil omnino obstat, quo minus verba illa pro glossemate habeas. Quod eo minus debet cuiquam religioni esse, quo magis his potissimum in libris omnia librariorum stupore et temeritate perversa sunt

Cfr. Orell. vol. IV. p. 1. pag. 545. Caeterum de gleba in os injecta Cfr. Casaub. ad Suet. Aug. 101. Tom. p. 491 seq. ed. F. A. Wolf. Kirchm. de Funerib. Rom. III, 7.

Quae apud Ciceronem pro Sext. 18, 40. scripta reperiuntur verba: „Duo, qui privati tum essent, et praeesse et parare, si vellent, exercitum posse, idque facturos esse dicebat: ea quamquam varie a VV. DD. tentata, nullo plane vitio videntur laborare. Namque et praeesse verba, quae auctore Ernestio delevit Schuetzius, tantum abest, ut inepta sint, ut etiam magnam quandam vim orationi addant. Neque enim solum interest, habere exercitum, sed duces etiam, qui exercitui possint praeesse. Unde simul hoc perspicitur Wolffii conjecturam, praesto esse, haud improbatam illam quidem ab Orellio, praesertim quum propter parare verbum, quod sequitur, plane langueat, plane esse spernendam. Quum autem ne hoc quidem novum sit, duobus vel pluribus Verbis, quae diversis construantur casibus, Substantivum ita adjungi, ut ab eo tantum regatur, cui proxime accedat (quam figuram Zeugma Grammatici vocant) Cfr. Cic. Acad. II, 18. 56. Cui non assentior potiusque refello: equidem nihil omnino causae video, cur vulgata scriptura, omnibus Codicibus stabilita, comprobari nequeat.

Ciceronis pro Sext. 18., 43. verba sic fere videntur redintegranda: Ego si mihi uni pereundum esset, ac non accipienda plaga insanabilis illa mortiferam quandam reipublicae imposuisset: semel perire tum, judices, maluissem, quam bis vincere. Codicum quidem scriptura haec est: Ego vero — plaga insanabilis illa mortifera quam reipublicae imposuisset: semel cet. nisi quod aliqui Codices praebent mihi sanabilis, unde factum videtur, ut Ald. Crat. Herv. mihi intruderent ante insanabilis Adjectivum. Neque vero Orellio omni ex parte assentior, qui mihi vel ex prima syllaba insanabilis Adjectivi, vel ex falsa oppositione ad illis Pronomen, quod pro illa Oxx. praebeat, natum arbitratur. Etenim mihi tum potius ex in syllaba natum videtur, quum haec verba integra exstabant ad oppositionem indicandam, qua verba accipienda sanabilis illa et mortiferam quandam reipublicae continerentur. Posteaquam vero corrupta sunt verba in eum modum, quo nunc fere scribuntur neque librarii intellexerunt, quid de mortifera Adjectivo facerent, quod sine conjunctiva quadam particula sic poni non posse videbant: illa mutarunt in illis, ut, vera, oppositione sublata, mihi sanabilis et mortifera illis sibi responderent. Sic verbis: „ac non accipienda plaga insanabilis illa" stabilitis, suadet et Codicum scriptura et totius enunciati sententia, ut pro quam, lenissima sane mutatione, ponatur quandam Pronominique mortifera Adjectivum adstringatur. Quam quidem corrigendi rationem patet esse multo verisimiliorem, quam ipsius Orelli, rei publicae ante plaga transponentis ejusque loco ei in trudentis rationem. Neque enim sustulit ejus conjectura eam difficultatem, quam praebet mortifera Adjectivum, sine conjunctione ulla additum, et temere omnes ejusmodi transpositiones, nisi essent veri simillimae, obiri, acute nuper demonstravit Hermannus. Reliquorum vero conjecturas varias prorsus praeterire satius puto,

quum hac ipsa Orellii, quam modo exagitavi, conjectura sint etiam pejores. Jam vero si quaeritur, quaenam sit p l a g a i l l a i n s a n a b i l i s quaeque m o r t i f e r a r e i p u b l i c a e i m p o s i t a: luculenter patet illam Ciceronis esse mortem atque interitum, hanc vero perniciem interitu ejus reipublicae inflictam. Neque vero obscurum est, quomodo Ciceronis mors reipubl. perniciem dicatur attulisse, quum ipse paullo post inde a verbis: „Q u i d? s i i n p r i m a c o n t e n t i o n e" cet. pluribus id exponat. Deinde vero haud scio, an de jactura cogitaverit, quam res publica ipsius faceret interitu. Quod nequaquam a veri similitudine abhorret, quum et pro Planc. 37, 90. aperte illud glorietur, et alias plurimum eum sibi tribuisse, maximopere constet.

THESES CONTROVERSAE.

I. Romanorum haruspices Etruscos fuisse, contra Niebuhrium p. 137 *ed.* 3. *contendo.*

II. Pelasgorum Hellenumque religio erat diversissima, ut haec nequaquam ex illa enata possit existimari.

III. Eustathei Schollon ad Hom. Od. IV, 704 *falso sic refingendum videbatur Baumgarten-Crusio Tom. I. p.*260: „Ἡ ἀμφασία πλεονασμὸν ἔχει τοῦ μ διὰ φωνῆς ὄγκον", *quum ν scriptura ab Eustathio profecta sit judicanda.*

IV. Perperam Stallb. vol. I. sect. II. p. 77. *Platonis verba haecce:* „λέγω δέ τινα τρόπον τοῦτον," *quae in Phaed. c.* 18. *pag.* 73 *C. HSt. reperiuntur, sollicitat.*

V. Cic pro Sext. 16, 36 *non dubium est, quin Substantivi cujusdam Ablativus scribendi errore sit praetermissus, quem existimo e x e r c i t u esse.*

VI. Iujuria contendit Matthiae Grundriſs der gr. u röm. Litterat. p. 50 *ea, quae a Cic. de Orat. III,* 35. 141. *Orat.* 19, 62. *Tusc. I,* 4. 7. *et a Quintil. III,* 1. 4 *de Aristotele et Isocrate enarrentur, chronologiae repugnare.*